Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 897
Quelle:
Copyright:

cum Impressis contendere; ut enim dictionis varietas hactenus a variis diligenter lecta sit, non deest tamen hic Spicilegium. Ita mox in prima *ad Donatum* Epistola pro: *hoc tempus est, cum,* Codex: *hoc tempus est, quo.* Pro: *familiae strepentis obtundat*, Codex: *strepentis familiæ aures obtundat.* Pro: *divina indulgentia pollicebatur*, Codex: *diuina clementia pollicebatur.* Pro: *Qui possibilis, ajebam, est tanta conversio.* Codex: *Impossibilis, aiebam.* Est tamen etiam, ubi peccat. Ita mox hic pro impresso *Conversio* perperam *Conuersatio* &c.

Dicam etiam, quae *Codicem* utrinque ambiant. *Fol.* quidem 1. comparet Simulacrum Servatoris quatuor clavis cruci confixum, depictum coloribus; *pag.* autem *versa Chuono* cum uxore *Azala* et filio *Wisint* delegant a morte sua Praedium *super Altare sancti Stephani*, cujus rei testes sunt: *Chuonradus comes. Parahart. Wecil. Charlman. Penzo. Uodalrich. Ratolt. Rabawin. Eccherich. Razo. Walto. Wecil. Folium* 2. e quodam *Poenitentiali* decerptum incipit: *feminis agat. Primos etiam XL. dies in pane et aqua et sale ieiunent. Si autem uiderimus corpus imbecillum concedantur eis III. dies in ebdōmada ut legumine aut horto sustententur* &c. Delictum nullibi exprimitur. Voces peculiares insertae sunt *Medo, Ceruisa* et *Faida*, sive Inimicitia, de qua *Cangius, Carpentarius, Scherzius* in *Glossariis.* Citatur item *beatus Gregorius in libro pastoralis curę.* Theca *postica* primo exhibet superstitiosam Formulam in Partus difficultate ita adhibendam: *Anna peperit samuel. Elisabet iohannem. Anna peperit mariam. Maria christum. Infans. siue masculus. siue femina. siue mortuus. siue uiuus. Adiuro te per deum uiuum. per deum uerum. per deum sanctum. per deum qui natus est ex maria uirgine ut exeas te uocat saluator ad lucem. Illuminare domine his qui in tenebris et in umbra mortis sedent ad dirigendos pedes nostros in uiam pacis. Per christum dominum nostrum. Ter Pater noster. Ter Credo in deum.* Sequitur Traditio praedii, *quale Piligrimus habuit in oumenaube*, per *Chuonradum* filium *uodalrici* comitis nomine ipsius *Piligrimi super altare sancti stephani in loco qui dicitur ad sanctum ypolitum.* Testes *per aurem tracti* sunt: *Pecilinus de heidindorf.* (Haindorf.) *Piligrim de rauna.* (Ranna.) *Isinrich de annandorf. Pernhart. Ratolt. Purrhart. Dietpranth. Durinch. Sigipolt. Piligrim. Charlman. Altmar. Wolfcanch. Hobolt. Rabuwin. Penzo.* Ex hac Traditione liquet, *Codicem* nostrum olim pertinuisse ad antiquissimum Collegium Canon. Reg. ad D. *Hippolyti* infer. *Austriae*, nunc in Sedem Episcopalem conversum. Scripta fuit illa, uti et reliqua *Codicem* ambientia saltem Sec. XII.